DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

TYPHO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI.

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINÆ HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS KIRBY,

HIBERNUS.

AD DIEM 12 SEPTEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

——Hoc etenim morbi genus, uti præ cæteris vulgare eſt, ita propter atrocitatem caſuum artem medicam impenſius deſiderat. Morborum nonnulli, peculiari vel loco vel etiam ſeculo ingraveſcunt: Febres fere ſolæ ſunt omnibus æque terrarum partibus, omnibus æque ſeculorum ætatibus communes.

FRIEND. COM. I. IN HIPPOCRAT. DE FEB.

EDINBURGI,

CUM PRIVILEGIO,

APUD ROBERTUM ALLAN.

MDCCXVCI.

ST MARY'S HOSPITAL RADFURD LIBRARY MANCHESTER.

FRATRI SUO,

ET AMICO CARISSIMO,

JOANNI KIRBY,

PROPTER BENEFICIA HAUD PAUCA NEC PARVA

IN SE

A TENERIS ANNIS

COLLATA:

REVERENDO

ETIAM

JOANNI KIRBY,

OB AMICITIAM PERLONGAM ET IMMUTABILEM

HANC DISPUTATIONEM

STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI GRATISSIMI, OBSERVANTISSIMIQUE,

TESTIMONIUM

CONSECRAT,

AUCTOR.

Certe medici eſt, non omnem protinus ſpem abjicere, ſed artis præſidia omnia, quæ aut comprobarit uſus, aut ratio ſuggeſſerit experiri.

FRIEND. EPIST. AD MEAD.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

J. KIRBY Auctore.

CULLENUS Typhum ſequenti definitione complectitur, qua ab omnibus aliis affectionibus dignoſci poteſt.

" Morbus contagioſus; calor parum auctus;
" pulſus parvus, debilis, plerumque frequens; u-
" rina parum mutata; ſenſorii functiones pluri-
" mum turbatæ; vires multum imminutæ.'

Morbi autem ferè cujuſvis ſigna adeò plerumque in diverſis ægrotis variantur, ut intra definitionis limites deſcribi non poſſint; has igitur varietates fuſiùs exequi conabimur.

HISTORIA MORBI.

Hæc affectio plerumque inchoat a torpore, et rigoribus, quos brevi excipit caloris ſenſus, cum magna et generali laſſitudine, vertigine, dorſi et ſæpe capitis dolore, magna debilitate, animo demiſſo, nauſea, vomitu, et cibi faſtidio.

Lingua muco plus minus obducitur, ſitis licèt in hoc morbi ſtadio plerumque modica ſit.

Cutis eſt ſicca: calor licèt haud multum ſupra limites ſanitatis naturalis exurgat.

Arteriarum pulſus frequentiores, plerumque debiliores, et interdum intermittentes, aut abnormes fiunt.

Somnus

Somnus turbatur neque membra fovet, aut recreat: et (ut HUXAMUS refert) occiput nonnunquam, itemque frons, ea præcipuè in parte qua futura coronaria cursum tendit, dolore obtuso et frigoris sensu afficiuntur.

Facies interea est pallida, atque tristis: omniaque ejus lineamenta mole minuuntur.

Æger somniculosus et iners evadit; et quamvis in somnum propendere videtur, ea tamen voluptate frui nequit: quamvisque ægrotatio tanta non est, ut lecto affigatur; ea tamen est, ut omnem consolationem vincat.

Ea est nonnunquam ægroti conditio, ut adstantibus dormire videatur, adeòque simul animi functiones turbantur, ut ipsi rem ita se habere persuaderi non possit.

Alvus nunc adstricta est, et urina plerumque pallida, ac limpida, nullam fæcem deponit: ægrotus simul lucis et soni impatiens fit.

Hoc ferè modo per aliquot dies afficitur, signa autem modò remittunt; modò et præsertim sub noctem, exacerbantur; quibus mutationibus fe-

bricitans adeò hallucinatur, ut in mentem non veniat accerſere medicum, qui in hoc morbi ſtadio morbum progredientem ſiſtere, vel ſaltem inſtantia ſigna levare, et futura latu faciliora reddere valeret.

Die ferè ſeptimo, vel octavo, augentur capitis gravitas, et dolor, ut et vertigo, quibus aurium tinnitus, delirii plerumque prænunctius ſupervenit: hoc delirium non ſæpe quidem ferox, rarò enim exurgit ultra levem animi perturbationem, in qua æger parum cohærentia, ab adſtantibus vix audienda, neutiquam intelligenda, murmurat.

Sæpe in hoc morbi ſtadio, febricitanti, præſertim in ſitu corporis erecto, proclivitas ad animi deliquium ſupervenit; cum gelido ſimul et glutinoſo partium plerumque quarundam ſudore, qui teſtante HUXHAMO fugax, et quod partes attinet, ex quibus prorumpit, admodum inſtabilis eſt: nonnunquam in fronte, et manibus averſis erumpit, ſubitò fugiturus, dum ſimul genæ et volæ incandeſcunt.

Tendines

Tendines jam frequentes ſubſiliunt, et lingua in hoc morbi ſtadio admodum ſicca et nigricans evadit, præſertim ad partem mediam, limbo ſimul flavo margines occupante, tremibunda dum exeritur, nonnunquam pluribus fiſſis obſidetur, quæ neglecta multum negotii ægro faceſſunt: ſi lingua jam madida fiat, et os ſaliva quadantenus manet, exitus morbi fauſtus ſperandus; ſi autem ſorbendi difficultas, ſuffocationis ſenſu comitata, ſupervenerit, eſt res peſſimi ominis.

Die ferè decimo, vel duodecimo, ſudor profuſus, plerumque gelidus, ac viſcidus ex artubus prorumpit; comitante ſimul diarrhœa exhauriente, quæ fœtorem curantibus, ipſique febricitanti ingratiſſimum diffundit.

Hoc plerumque morbi tempore, petechiæ modò coloris rutili, modo ex rutilo palleſcentes; aliàs purpureæ vel ſubfuſcæ; aliàs nigricantes, vel lividæ, toto corpore, dorſo autem, et pectore, frequentiores diffunduntur: hæ quidem petechiæ ſæpè adeò ſunt numeroſæ, et ita cutem fœdant, ut niſi propiùs inſpectæ, oculi aciem effugiant. Ungues

gues quoque lividi fiunt; et arteriarum ſimul pulſus ſupra modum frequentes, debiles, et abnormes, imò intermittentes evadunt; facies cadaverosa fit; vox adeò deficit, ut vix audiri poſſit; deglutiendi facultas minuitur, imò penitus ferè deletur: oculorum lumine vix jam afficiendorum nitor obſcuratur; aliàs viſu duplice, vel ſtrabiſmo quadantenus laborat æger, cui aures quidem quantivis ſoni patientes fiunt.

Nunc febricitans rarò dormit, et quando hoc fit, palpebris propemodùm clauſis, et ore ſemiaperto jacet: nec ſitim omnia licèt indicia hanc indicantia adſint, conqueritur.

Natura tandem miſeriæ mole pene obruta, gradu incitato labeſcit; ſpiritus ægrè trahitur; abdomen durum, tenſum, ac tumidum fit: ſtercus et urina inſcio ægro elabuntur; quidam autem dyſuriam, vel etiam iſchuriam nonnunquam conqueruntur: urina nigricans, et fœtida redditur: ſtercora ſanguine tincta dejiciuntur: ſingultus plus minus urget: et denique maculæ lividæ, aut nigræ, adſunt: quibus omnibus tremores et convulſiones

ſiones ſupervenientes, vitæ miſeræ finem imponunt.

Tempus quo morbus terminatur, in diverſis exemplis eſt admodum diverſum; die decimo quarto, vel decimo ſeptimo, plerumque finitur; exitus autem in quibuſdam caſibus, uti obſervatione conſtat, ad diem quadrageſimum uſque protrahitur; plura quidem ſunt exempla, in quibus die undecimo, et etiam ſeptimo, fauſtè deſierat: pauca autem, ſi ulla quidem, morbi ante hunc diem, niſi medicaminibus olim memorandis adhibitis, ad finem perducti, exempla proſtant.

Morbi formam, quod ſignorum numerum attinet, et ordinem, quo ſe invicem excipiunt, maximè communem jam tradidimus; obſervandum autem eſt, hanc eſſe aliam in aliis, non ſolum prout ætas, vitæ ratio, et corporis conſtitutio, ſed etiam prout terræ regio, et anni tempeſtates ſunt diverſæ.

His omnibus circumſpectis, formarum morbi diverſarum, quæ diverſis quaſi quidem diverſæ forent nominibus inſigniuntur, cauſas meliùs intelligere valebimus; aliquid autem de harum varietatum

tum cauſis hîc loci animadvertere, quippe quod nos ad inveſtigationem, arctis hujuſmodi diſputatiunculæ limitibus minimè circumſcribendam, duceret, mihi in animo non eſt.

DE MORBI CAUSIS.

Hæc affectio magno cauſarum numero, quarum præcipuas jam memorare pergemus, proximè, vel ope alterius, induci poteſt. Hæ quidem cauſæ in prædiſponentes, et excitantes, diſtribui poſſunt: illis, annumeranda ſunt omnia, quæ corpus viribus ſuis infirmatum, harum, actioni opportunum reddunt. Imprimis notandum eſt homines, laxa ac prava corporis conſtitutione præditos, in hoc malum multo eſſe procliviores, iis, quibus eſt robuſta ac firma corporis compages; quia in illis, alimentorum concoctio, et ſecretiones ſanitati neceſſariæ, adeò imperfectè perficiuntur, ut poteſtatum nocentium actioni minus reſiſtere valeant.

Ex

Ex aliis morbis convaleſcentes, item periclitantur, quoties cauſis hunc morbum excitantibus objiciuntur; et hi quoque quibus vires multum franguntur exinanitionibus, quales ſunt ptyaliſmus diu perſtans, iterata alvi purgatio, venus nimia, aliæquæ cauſæ conſimilis naturæ. Eundem pariter effectum edere ſolent, affectus animi deprimentes, qualis eſt gravis et diuturnus animi dolor, metus pariter, quiviſve animi affectus, quo, in deſperationem agitur: gravis iræ impetus eundem effectum indirecto operandi modo præſtare poteſt. Porro, cauſis quæ ad hunc morbum inducendum conferunt, annumeranda ſunt, diæta inſalubris, ac parum nutriens, inedia diuturna, aër impurus qualis eſſe ſolet in carceribus, navibus parum ventilatis, in quibus juſto plures coacervantur, valetudinariis, lociſque in quibus animalia et plantæ putreſcunt; præterea ſtudium intenſum ac diuturnum, vigiliæ crebræ, actio frigoris, defatigatio, ebrietas frequens, cum multis aliis quæ conſimili modo agunt, conſpirando ſcilicet, ad morbum in-

ducendum, cum cauſis excitantibus brevi memorandis, eodem ſpectant.

Non deſunt quidem exempla, ubi nonnullæ ex cauſis jam dictis, morbum, adjuvante nulla cauſa excitante evidente, faciunt. LIND. narrat, ſe duo hujus rei exempla vidiſſe, quorum alterum in Diana, alterum in Sancto Georgio, navibus longis, ſe oſtenderunt, damnumque haud leve intulerunt: ipſique ex aërea ſolo, qui in his navibus admodum erat impurus, oriri videbantur, nautæ enim in utraque nave navigantes, cujuſvis contagionis ſeminiis e portu ſolventes expertes extiterunt; morboque mari correpti fuerunt; nullumque igitur conſortium cum hac peſte afflatis, quaviſve alia ſcaturigine unde morbus vulgaretur, habere potuiſſent. Idem auctor inſuper febrim, tempeſtate qua frigus erat admodum intenſum exortam eſſe, addit.

Porro, alia apud LINDIUM alioſque auctores documenta extant, ex quibus alias pariter ex cauſis prædiſponentibus ſupra memoratis, febrim, nul-

la

la cauſa occaſionali conſpirante, accendiſſe patet.

Dubitari autem poteſt, nec injuria quidem; num aliquæ ex his quovis alio operandi modo agant, quam conſpirando cum cauſis jamjam dicendis, ad eandem faciendam: inter has frigus imprimis memorandum eſt. Effectus quos hæc cauſa in corpore humano edit ſunt admodum diverſi: in aliis enim morbos longè alios, immò penitus contrarios concitare poteſt: quod ex peculiari, parum quidem intellecta, corporum indole, modo quo frigus admovetur, et vitæ ratione pendere videtur. Porro, frigus ad morbum de quo hîc agitur, alioſque benè multos concitandos plurimum pollet: quis autem ſit ipſius operandi modus, quave ratione contagionem, morbi anſam gignat, ignorare me profiteor: rem autem ita ſe habere, obſervatione et experientia quotidiana conſtat.

Altera typhi cauſa excitans eſt contagio, cujus notionem generalem ipſius CULLENI verbis ſubjiciam,—" Effluvia ariſing directly or originally " from the body of a man under a particular diſ-

" eaſe, and exciting the ſame kind of diſeaſe " in the body of the perſon to whom it is ap- " plied."

Quod hoc morbi ſeminium attinet, natura ejus nos penitus latet; ipſi autem neſcio quid peculiare ineſſe videtur, quo ad eundem morbum, ac ille, ex quo ſcaturit, ferè ſemper concitandum aptum evadit, dixi *fere ſemper* typhi enim exempla a variolarum contagione oriundi extant *. Qualis autem ſit natura hujus veneni recondita, ne conjectura quidem aſſequi poſſum: Effectus ſuos autem, prout plus minus in unum conflatur, et pro varia corporum quibus admovetur, conſtitutione præſtare videtur; in aliis enim corporibus effectus ſunt penitus alii, vires ejus veſtibus, aliiſve rebus quæ eadem imbui poſſunt, diu irretiti, augeri videntur. Effluvia enim ex hujuſmodi rebus avolantia, multo magis peſtifera inveniuntur, quam quæ ex ipſo corpore illico erumpunt. LIND. enim nutrices mercinarias febricitantibus in valetudinario Haſlarienſe per-

* Vid. LIND on Fevers and Infection.

perpetuò licèt famulantes, contagio tamen immunes evaſiſſe; eodem autem poſtea ex fomite avolante afflatas fuiſſe narrat; quod, veſtium faſciculo veneno imbutarum, penes ipſas invento, probatum fuit; immò unam ex his eadem cauſa tertia vice infectam idem auctor addit.

In nonnullis exemplis venenum alicubi corporis iners diu latitat, donec tandem, aliqua ex cauſis prædiſponentibus jam dictis favente, ad actionem incitatur.

Veriſimile videtur, hæc effluvia mitiora fieri vinculo variarum rerum, quibus in cœlo ambiente occurſant, quo adeò dividuntur, ac diluuntur, ut minutiſſima tantum quantitate corpori admoveantur. Porro, mortiferum eorundem virus reprimi poteſt ligni ardentis fumo, aliarumque rerum uſtioni aptarum, qualia ſunt ſulphur, nicotiana, pulvis pyrius, quibus thuris et odorum incenſio, qualis eſt corticis caſcarillæ flagrantis odor, adjici queant. Inſuper, aceti fervefacti vapore, et etiam picis odore, veneni viribus aliquatenus reſiſtitur.

DE DIAGNOSI.

Hiſtoria morbi perpenſa, Diagnoſis haud erit difficilis: quamvis enim nonnunquam adeò tardè obrepit, ut parum obſervetur, et morbum antequam radices egerit, idoneis remediis reprimendi occaſio prætermittatur; ſi tamen perpendamus eum nonnunquam hac forma leni accedere, et exquirere conemur, num æger cauſis morbi cognitis objectus fuiſſet, ſatis probabiliter judicare valebimus utrum typhus adſit, necne.

Quando verò, ut ſæpe fit, ſub ſynochi forma impetum facit, rudes et inexperti decipi poſſint, et ſynocham fugacem tantùm, ex errore in rebus non-naturalibus ortam rati, ſignorumque levationem ſanguinis detractione, aliiſque exinanitionibus audentes, graviſſimam febricitanti miſeriam conflent. Ægri autem conſtitutionis rationem habentes, regulas ſupra poſitas obſervantes, et morbum robuſtos hac plerumque forma adoriri memoria tenentes, ab hac errandi fonte facilè plerumque cavebimus.

Hæc

Hæc ſunt præcipua agendi præcepta, quæ de hac rei noſtræ parte tradenda nobis ſuppetunt; eadem autem morbum tantùm ineuntem, quippe qui aliquatenus progreſſus facilè recognoſcitur, ſpectare obſervandum eſt.

DE PROGNOSI.

Nullus ferè exiſtit morbus, de cujus exitu adeò difficilè, et incertè, judicamus ac ille, de quo nunc agitur; ea enim eſt noſtra tam de vivi corporis functionibus generatim, quam de hujus morbi natura ſpeciatim, ignorantia, ut nemo mortalium dixerit, quo tempore ſigna ſæviora atque maligniora fiant; in quales novas conjunctiones abeant; quæque nova ſuccreſcant, ita ut de morbi facie vix benè ſperare liceat. Contra, omnium morborum quibus gens humana patet, ægri ex nullo ſæpius, aut magis ſubitò, et inopinatò, quam ex febribus convaleſcunt, idque quando in ſummo uti videretur, periculo verſantur. Poſtquam enim morbus ad ſummam pervenerit; omniaque

niaque ſimul ſigna peſſimi ominis videntur, placidus febricitanti ſæpe obrepit ſomnus, ex quo leni ſudore madens, cum manifeſto omnium ſignorum levamine expergiſcitur.

Signa mali ominis ſunt, arteriarum pulſus admodum frequentes, debiles, et abnormes; proclivitas ad animi deliquium in ſitu corporis erecto; frigus extremorum, cum ſudoribus ſæpe partium, gelidis, et viſcidis, qui quo maturius ſupervenerint eò plus periculi habent: in epigaſtrio dolor obtuſus cum ardoris plus minus ſenſu, vomitio frequens, memoriæ privatio, coma, delirium, oculi lumine haud afficiendi, linguæ titubantia, vocis mutatio, oculi efferati, torvor faciei inſignis, ſtercus et urina inſcio ægro elabentia, quodque pejoris ominis eſt, dyſuria, et ſæpe iſchuria, deglutitio difficilis, oculorum alter, altero ut videretur minor, quibus addi poſſunt facies Hippocratica, oculorum ſemiclauſorum pupillæ ſurſum verſæ, maculæ, vibices, fœtor animæ intolerandus, dejectiones ſanioſæ ac cadaveroſæ, abdomen

tenſum

tenſum ac tumidum, hæmorrhagiæ, tremores et convulſiones perpetui.

Hæc jam recenſita, ſunt ſigna quæ exitum morbi funeſtum præſagiunt ; hunc autem non niſi pluribus iſtorum ſignorum concurrentibus, et ſine remiſſione perſtantibus, indicari nobis obſervandum eſt.

Interea autem cavendum, ne ſententiam noſtram præproperè feramus : omnia enim, idoneo medicamine adminiſtrato, ſæpe contra ac dicta eveniſſe, et ſubitò et inopinatò in meliùs verſa eſſe conſtat.

Boni ominis eſt, ſi lingua humida et munda evadat, quod, ſaliva plus minus copioſè manante ſæpe comitatnr. Felicem pariter eventum augurare licet, ſi ægri vires vino ſumpto reficiantur ; et arteriarum pulſus majores et tardiores fiant. Porro, bonum eſt ſi cutis ſudore leni, tepido, et naturali molleſcat : ſi dejectiones felleæ utpote capitis affectionem levantes contingant : vel ſi urina turbida magna copia reddatur, modus licèt quo mingitur, magis quam ſpecies ſpectandus videtur : PRIN-

GLE enim plures febricitantes quos curabat, nulla in ipsorum urina fæce subsidente, convaluisse refert: insuper, surditas et somnolentia itidem, modo hæc ad coma non exurgat, bona indicia habenda sunt. Somni denique et cibi appetentiæ reditus, feliciſſimis signis annumerandus est. Si hæc jam enumerata adsint, et illa recensita desint, exitum morbi felicem prædicere licebit.

DE RATIONE SYMPTOMATUM.

Quamvis omnium signorum quæ in hoc morbo occurrunt, ratio ex eodem principio, nimirum debilitate, generatim reddi possit, quædam tamen ex illis sigillatim, magisque dilucidè, exponere haud abs re esse videatur.

Magna pulsuum frequentia, et debilitas, pendent ex generali corporis debilitate, et vi irritabili cordis et arteriarum aucta, quæ illam consequitur, facitque ut frequentiùs et languidiùs micent.

Stupor,

Stupor, languor, et mala corporis habitudo, cerebrum et ſyſtema nervoſum hac affectione potiſſimum affecta, cauſam agnoſcunt.

Dorſi dolor, quippe qui ſitu corporis erecto intenditur, ex muſculorum ejuſdem affectione ſecundum quoſdam oritur, ſecundum alios verò medullæ ſpinalis affectum, illi, cerebri ſupra dicto conſimilem, cauſam habet.

Proclivitas ad animi deliquium in ſitu corporis erecto, ex ſanguine juſto minore quantitate ad caput miſſo oritur.

Stercoris et urinæ dejectiones non voluntariæ, e muſculorum quibus harum partium functiones gubernantur, paralyſi pendent.

Dyſuria et iſchuria, conſimilem veſicæ urinariæ fibrarum in longum decurrentium, vel nonnunquam muſculorum acceleratorum urinæ affectum, cauſam agnoſcunt.

Petechias, maculas, vibices, ſtatui ſolidorum laxo et infirmato, diſſolutæque humorum circumeuntium conditioni, tribuenda opinor.

GLE enim plures febricitantes quos curabat, nulla in ipsorum urina fæce subsidente, convaluisse refert: insuper, surditas et somnolentia itidem, modo hæc ad coma non exurgat, bona indicia habenda sunt. Somni denique et cibi appetentiæ reditus, feliciſſimis signis annumerandus est. Si hæc jam enumerata adsint, et illa recensita desint, exitum morbi felicem prædicere licebit.

DE RATIONE SYMPTOMATUM.

Quamvis omnium signorum quæ in hoc morbo occurrunt, ratio ex eodem principio, nimirum debilitate, generatim reddi possit, quædam tamen ex illis sigillatim, magisque dilucidè, exponere haud abs re esse videatur.

Magna pulsuum frequentia, et debilitas, pendent ex generali corporis debilitate, et vi irritabili cordis et arteriarum aucta, quæ illam consequitur, facitque ut frequentiùs et languidiùs micent.

Stupor,

Stupor, languor, et mala corporis habitudo, cerebrum et ſyſtema nervoſum hac affectione potiſſimum affecta, cauſam agnoſcunt.

Dorſi dolor, quippe qui ſitu corporis erecto intenditur, ex muſculorum ejuſdem affectione ſecundum quoſdam oritur, ſecundum alios verò medullæ ſpinalis affectum, illi, cerebri ſupra dicto conſimilem, cauſam habet.

Proclivitas ad animi deliquium in ſitu corporis erecto, ex ſanguine juſto minore quantitate ad caput miſſo oritur.

Stercoris et urinæ dejectiones non voluntariæ, e muſculorum quibus harum partium functiones gubernantur, paralyſi pendent.

Dyſuria et iſchuria, conſimilem veſicæ urinariæ fibrarum in longum decurrentium, vel nonnunquam muſculorum acceleratorum urinæ affectum, cauſam agnoſcunt.

Petechias, maculas, vibices, ſtatui ſolidorum laxo et infirmato, diſſolutæque humorum circumeuntium conditioni, tribuenda opinor.

Dolor ventriculi obtuſus, et quadantenus ardens, ex minus actuoſa ejuſdem inflammatione pendet.

Quod oculus oculo minor apparet, hoc, palpebræ oculi qui minor videtur, laxitati referendum cenſeo.

Sitis, ventriculi affectum, conditioni linguæ fœdæ affinem, cauſam agnoſcit.

Extremorum frigus, oritur e languido ſanguinis circuitu, quo idem minori quam par eſt quantitate, ad has corporis partes diffunditur.

Sudor gelidus, ac viſcidus, partim pendet a cauſa jam dicta; partimque ex tali partium in quibus ſe oſtendit laxitate, qualis eaſdem humoribus contentis retinendis impares reddit.

Abdominis tenſio, et tumor, ir gentem aëris vim, qui variis rebus in ventriculo et inteſtinis putreſcentibus gignitur, et interdum in abdominis cavum aliquâ inteſtinorum parte, ſuperveniente gangræna, exeſâ, qua data porta ruit, cauſam ſuam agnoſcunt.

DE

DE RATIONE MEDENDI.

Hoc nobis potiſſimum agendum, ut morbus iniens in ipſo limine præcidatur: quod conſilium medicamentorum vomitoriorum uſu optimè abſolvitur. Horum efficaciſſima, et huic fini aptiſſima, ſunt præparata ex ſtibio, qualia ſunt antimonium tartarizatum, calx antimonii nitrata, et antimonium calcareo phoſphoratum.

Doſes medicamentorum ex ſtibio præparatorum magnæ, vel etiam parvæ ſæpius iteratæ, tantam interdum exinanitionem efficiunt, ut febricitantium vires labaſcant: prudentis eſt igitur a parvis doſibus inchoare, ut effectus quos ederent reſciſcamus, et ſi ſigna violentiora horum præparatorum adminiſtrationi fortè ſupervenerint, opio conſopienda ſunt.

Si medicamina ex ſtibio præparata tutò et idoneè adhiberi non poſſunt, confugiendum erit ad ipeca-

ipecacuanham *recèns* in pulverem redactam; hoc enim obſervato, huic conſilio abſolvendo ſatis apta invenitur.

Cum autem ipecacuanhæ vires non durant, et haud rarò inter ſervandum minuuntur, certiſſima eandem exhibendi forma eſt ea in qua cum vino infunditur. (Vin. ſcil. Ipec.) Hic agendi modus nobis commendatur a medicis nobiliſſimis, præſertim Profeſſoribus RUTHERFORDIO, et GREGORIO, a quibus in Regio hujus urbis noſocomio, ſæpius cum fructu manifeſto factitatum vidi: quoſque audiviſſe ſummæ mihi laudi, uſque ad extremum vitæ halitum, lubenter ducam.

Porro, medicamenta vomitoria alios effectus utiliſſimos præſtant; curſum enim humorum ad cutem faciunt, ventriculum exinaniunt, et a rebus crudis quibus ſæpe gravatur expediunt, hincque præter alia commoda, quæ ſecum adferunt, ſitim inſignitèr levant.

Si autem medicamenta vomitoria ſucceſſu careant, vel ſi eadem periclitandi occaſiuncula dimittatur, (malum enim naſcens ſolùm opprimendi ſortes exi-

exiſtunt) alia medendi ratio experienda eſt. In hoc attentè et diligentèr incumbendum eſt, ut omnia circa ægrum munda fiant, omnia quibus cubiculi aër inquinari poſſit ſummoveantur: induſia et toralia frequenter mutanda ſunt; hæc quidem levia eſſe debent, et ægri arbitrio gubernanda; ſuper pedes autem, quippe qui, cætero corpore æſtuante, frigeſcere ſolent, majore quantitate ſternenda. Cavendum eſt ab omni mentis et ſenſuum irritamine, qualia ſunt lux, ſtrepitus, meditatio nimia, ut et colloquia quæ animi attentionem poſtulent. Alvi duritiei itidem occurrendum eſt, quod optimè præſtatur clyſteribus leniter ſtimulantibus, quales ex lacte et aqua oleo conjunctis, mannæ, vel ſacchari non purificati, pauxillo addito, parari poſſunt; vel catharticis mitioribus, qualia ſunt tartarum purum, ſoda phoſphorata, manna, caſſia, &c. interea ægri cubiculum aëre frigidulo admiſſo refrigerandum eſt, quod una cum auxiliis ſupra laudatis, ad corporis refrigerationem præſtandam, plerumque ſuppetet.

Tem-

Tempeſtate calida ſuppetiæ aliundè petendæ ſunt, quarum præcipua eſt, lavatio corporis aquâ frigidâ et aceto, qua pulſuum frequentia minuitur, corporiſque calor temperatur, etſi hoc auxilium plerumque feliciter cedat, cautè tamen ſemper adhiberi debet, quia quibuſdam corporis conſtitutionibus præſertim tempeſtate frigida obeſſe poteſt, cujus rei exempla Profeſſor GREGORIUS vidiſſe ſe narrat. Porro, egomet caſum vidi, in quo inſigniter nocuiſſe exiſtimabatur, plures autem mihi obſervare contigit, in quibus lavatio frigida ſummo cum fructu adminiſtrata fuerat: et ſanè hoc remedium mihi ipſi gravitèr febricitanti præcepit CEL. GREGORIUS, et exinde, quamvis tempeſtas admodum frigida fuerat, tantum tamque manifeſtum commodum percepi, ut idem, idque ſemper cum fructu, ſæpiùs iterandum curaverim.

Acida, ea potiſſimum, quæ ex frugibus derivantur haud parum in hoc morbo proſunt; febricitantibus gratiſſima ſunt, et ad corpus refrigerandum plurimum pollent.

Sanguinis

Sanguinis detractio, morbo in regionibus calidis occurrente, necessaria esse potest; hac autem exinanitione in his nostris regionibus, rarò aut nunquam, nisi in plenioribus quibusdam ægris, diætæ generosæ, aliisque rebus, quæ corporis incitationem præter modum augent, assuetis, opus esse videtur.

Sudor factitius hìc semper vitandus est; ad calorem enim febrilem intendendum, minimè verò ad morbum discutiendum pertinet; hæ enim exinanitiones *criticæ* nuncupatæ semper pro signo aut effectu, nunquam pro causa morbi solutionis habendæ sunt, ut RUTHERFORDIUS vir eximius, in prælectionibus suis clinicis nos docet.

Emplastra epispastica posthabenda sunt, præter exempla quibus coma insigne aut partis inflammatæ indicia adsunt, magnam enim misero molestiam afferre solent; parteſque quibus imponuntur haud rarò in gangrænam abeunt.

Alii medici cinchonam hìc probant, alii, nec injuria, ut mihi videtur, improbant: hæc enim fe-

bre laborantibus ventriculum gravat, nauſeam et aliquando vomitionem concitat, ſicque debilitatem, cui profligando deſtinatur, augere pertinet: cùm autem hoc remedium utpote a quibuſdam hominibus claris laudatum, aliquibus periculo dignum videatur; forma pulveris, ſerpentariæ, aliive medicamini aromatico conjuncti, optimè præſcribitur.

Vinum eſt in numero medicamentorum præſtantiſſimorum, quibus debilitati, in hoc morbo curando, occurritur; non ſolùm enim viribus ſuis ſtimulatricibus plurimum pollet, ſed etiam palato et ventriculo arridet: cavendum verò ne ultra modum bibatur, ſucco pomorum fermentato, aliove liquore aceſcente dilutum propinari poteſt. Quando autem debilitatis ſigna ad ſummam pervenerint, libera manu dari licet. Ill. enim GREGORIUS ægrum curabat, qui duas vini Luſitanici, unamque Madeirenſis lagenas, viginti quatuor horis vertentibus, hauſerat, et ex febre ancipite convaluit, profeſſorque vino remedium aſcripſit.

Quando

Quando vinum in promptu non eſt, rem exequi potuerimus liquoribus ſpirituoſis, aqua dilutis, pauxillo ſacchari, citreoremque ſucci ad gratum ſaporem addito.

Requies nocturna concilianda eſt opio, quo etiam convulſionibus, nauſeæ, vomitioni, et diarrhœæ occurritur, hæc quidem catechu, KINO, aliiſque medicaminibus aſtringentibus levari poteſt.

Opii uſui objicitur, quod alvum aſtringat, ſitemque accendat; cum autem in promptu ſint medicamenta quorum ope his effectibus occurratur, iſta nullo jure, cum cætera neceſſarium fuerit, objectanda videntur.

Febricitantium cibus leviſſimus, ad concoquendum facillimus, et ex frugibus potiſſimum vel omnino paratus eſſe debet, ipſiſque, cùm primùm appetierint (quæ res ſic ſe habere ſolet, cum morbus diuturnior fuerit) modica quantitate permittendus eſt.

Potus mitiſſimus eſſe debet, veluti aqua pura, aqua hordeata, quæ acido ex frugibus, vel ex re-

bus

bus foſſilibus, quantum ſatis ad gratum ſaporem addito, acuenda ſunt.

Si quando ægri vires multum convellantur, vinum modicum et cibo, et potui addere licebit.

Nonnunquam evenit, præſertim in delicatulis, quod, febre ſublata, debilitas augeſcens curſum ſuum perſequitur, et concoctio labefacta minuitur, vel æger tuſſi frequenti et non rarò profluvie ventris exhauriente, macie et ſumma debilitate conficitur. His autem omnibus diæta generoſa, et vino optimè medetur.

FINIS.